Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 323
Quelle:
Copyright:

lypſin ante ipſum commentati ſunt, quod exſcribo: *Primus eſt* Auguſtinus, *qui tamen non exponit continue ſed interpollatim verba aliqua pertractando. Secundus eſt* Jeronimus *qui exponit continue et ſuccinctim. Tertius eſt* Beda *qui invocans* (imitans?) *Jeronimum aliquantulum prolixius explanauit. Quartus eſt* Haymo *qui exponit ſupernaturaliter et diffuſe. Quintus eſt* elimandus (Elinandus) *qui exponit ad literam quantum poteſt. Sextus eſt* albertus *qui exponit miſteriatim et confuſe. Septimus eſt* gilbertus *qui Auguſtinum quaſi in omnibus imitatur. Octauus eſt* Joachim *qui exponit preterita* (nihil de futuris) *eleganter. Nonus eſt* belengarius (Berengarius Turon.) *qui exponit trope loyce et ſummatim.* Ex quibus liquet, Noſtrum vix ante medium Sec. XIII. ſcripſiſſe. Quis vero ille? Nominis adſonantias ſectatus per Biographos *Guilelmum* tandem *Multon*, *Melton*, *Meliton*, *de Melitona*, *Miltona*, *Milletona*, *Militona*, uno verbo *Militonenſem*, ut *ſupra* per compendium in titulo, adſectatus ſum, *Anglum Eboracenſem*, non Cancellarium *Pariſinum*, ut quidam, nec *Dominicani* Inſtituti, ut alii, ſed *Franciſcani* ſodalem, ut bene rem diſpeſcit *Quetifus* T. I. p. 488. quem utique *Tamerus* inſpicere poterat. Neuter tamen Commentarii noſtri meminit, quem *Waddingus* mſ. in Bibliotheca Conventus *Aſſiſii* extare teſtatur *Scriptt. O. M.* p. 154. et ex eo, ut putem, *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* L. VII. p. 155. Geminum vero Exemplar poſſidet Bibliotheca *Auguſta*; nam et *Cod.* praeced. Commentarius noſter occurrit *'αδεσποτης*, quanquam non parum hinc inde a praeſenti mutatus. *Fol.* 88. ad v. *ult.* C. XIII. eadem legitur *numeri 666.* Supputatio, ut in *Cod.* ſeq. niſi quod hic in Graeco ſubſtitutum ſit *'αρνουμε*, quod *Negatio* (*'αρνησις*) exponitur, *quia ipſe* (Antichriſtus) *negabit Chriſtum et fidem ejus*, et reipſa etiam numerum 666. reddit. In ora tamen ſumma *folii* etiam alterum fictum illud *'αντεμος* adſcriptum eſt, ut adeo Commentator ille *Pragenſis* in vitula Noſtri araſſe videatur; Quanquam uterque ex antiquioribus fontibus haurire potuit; *αντεμος* enim jam apud *Ticonium* et *Primaſium* in *Comment. Apocal.* *αρνουμαι* apud *Hippolytum* in *orat. de Conſum. Mundi* occurrit. Vide, ſi lubet, *Blaſii Viegas Commentar. Exeget. in Apoc. Lugd.* 1602. p. 750. 4. Finis noſtri, ut *Cod.* praeced. et ſubſcriptum: *Explicit Militon ſuper Apocalipſin.*

II. *fol.* 133. ſequitur alter *in Apocalypſin Commentarius* hoc principio: *Apocalipſis ihesu criſti quam dedit illi deus etcetera. Nota ad intellectum libri et de diſtinctione etatum quidam ſic diſtinguunt ſex etates* &c. Prologum hunc excipit alter; *Omnes qui pie uolunt in chriſto viuere. Ita incipit prologus ſuper apocalipſim et diuiditur in quinque partes. Prima pars tangit materiam libri* &c. Ipſa